

Dat. 5. Dec. 1726. Ann. 3.

Statuuntur nonnulla pro Monachis provisio de Prioratibus Congregationis Sanctorum Vitoni, & Hidulphi Ordinis Sancti Benedicti.

Alia hujus Const. ed. 1726. Aug. 19. P. 3. Statutus fuit modus electionis in posterum Abbatis Monasterii de Monte Serfato Ord. S. Benedicti Congregationis Vallislemnae, & Const. ed. 1729 Mart. 21. P. 5. confirmatur summarium Indulgentiarum quae a dicti Monasterii Abb. Rosarii per applicatur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Facti expos- tio.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbates, ac Superiores Congregationis Sanctorum Vitoni, & Hidulphi Ordinis Sancti Benedicti, quod dicta Congregatio, quae a felic. record. Paulo Papa V. Praedecessore Nostro approbata, & confirmata memoratur quinquaginta circiter Monasteriis in Lotharingia, & Barri Ducatibus, Campania, ac Burgundiae Provincia, & Comitatu sitis constet, ab eisdem vero Monasteriis nonnulli cura, Conventuque carentes, nec personalem residentiam requirentes simplices Prioratus dependent, quorum collatio, seu dispositio in mensibus Sedi Apostolica reservatis, ad Nos, ac Romanum Pontificem pro tempore existentem, cessantibus reservationibus, & affectionibus Apostolicis ad Abbates tunc pariter existentes Monasteriorum, a quibus dicti Prioratus respectu dependent, spectare, & pertinere dignoscitur. Cum autem, sicut eadem Expositio subiungebat, Monachi praedictae Congregationis Apostolica, vel ordinaria auctoritate de ejusmodi Prioratibus provisi, a Monasteriis eis a Capitulo generali, vel Superioribus dictae Congregationis destinatis, & assignatis, absque eorumdem Superiorum licentia recedere, ac in praefatis Prioratibus, in quibus nulla viget Regularis observantia, soli, vel cum famulo residere, aut commorari, non sine evidenti animarum suarum discrimine, & Monastica disciplina detrimento, quoadque praetendant, occasionem vagandi, seque ab obedientia, quam suis Superioribus debent, subtrahendi inde captantes, ac insuper documenta, cura, vel scripturas originales ad ipsos Prioratus pertinentes penes se retinere, seu etiam occultare in grave Prioratum, ac Monasteriorum praefatorum damnum, & irreparabile praedictum praesumant, necnon de fructibus eorumdem Prioratum ad sui libitum interdum disponant. Nobis propterea Exponentes praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis oppor. un. providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Superiorum dictae Congregationis.

§.2. Nos igitur eorumdem Exponentium, votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter anuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris, & poenis a Jure,

vel ab homine quavis occasione, vel causa la- tis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, quod de cetero nullus ex dictis Monachis de Prioratibus praefatis, etiam Apostolica auctoritate provisio, seu in posterum providendis, in eisdem Prioratibus, seu apud eos, eorumve Ecclesias, sine Superiorum suorum Regularium licentia residere, seu commorari, atque aliter de fructibus ejusmodi Prioratum, quam ad formam, & praescriptum Constitutionis recol. mem. Urbani Papae VIII. Praedecessoris itidem Nostri, quae incipit: In Supereminenti pro Monachis Congregationis Sancti Mauri in Gallia ejusdem Ordinis Sancti Benedicti anno 1627. edita disponere possit, & valeat, quodque praeterea omnes, & singuli Monachi de dictis Prioratibus provisio, & providendi documenta, & scripturas originales, ipsos Prioratus, illorumve jura, bona, & res quomodolibet spectantes, vel saltem earum exempla authentica in Archivio Monasteriorum, a quibus dicti Prioratus dependent, reponere omnino debeant, ac teneantur sub excommunicationis, ac privationis vocis activae, & passivae per contrafacientes & contumaces, in praemissis eo ipso incurrendis poenis, eadem auctoritate harum serie statuimus, decernimus, & ordinamus.

Setuta praedicta pro Monachis de Prioratibus praefatis provisio.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, Congregationis, Monasteriorum, & Prioratum praedictorum etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore per anulum, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausula De rogatoria.

§.4. Volumus autem, ut praesentium Literarum transmissis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in iudicio, quam extra illud habeatur. quae hab. retur ipsi praesentibus, si forent exhibita, vel ostensa.

Fides habenda transmissis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die quinta Decembris MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno tertio.

CLIII.

Promulgatur Canonizatio Beati Thuribii Archiepiscopi Limani, Sanctorum Festis adscripti.

Dat. 10. Dec. 1726. Ann. 3.

Vide Const. ed. 1723. Jun. 4. P. 1., & Constitut. sequentem.

BE-

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ex eo quod orationes Sanctorum plurimum valeant apud Deum.

Quoniam Spiritus Sancti oraculo per Beatum Joannem Apostolum dictum est, quod orationes in phialis aureis visa coram Agno extincto, esse orationes Sanctorum, quae ad expiandas nostrorum criminum sordes ante conspectum Altissimi odorem suavitatis emittunt; ideo nos, quibus, licet immeritis, idem Spiritus Sanctus regenda totius Ecclesiae curam injunxit, aeternae Christianis saluti plurimum credimus expedire, si eorum memoriam solemnibus praeconiis ubique celebrari decernimus, quorum assiduis deprecationibus, & patrocinio gregem Catholicum, nostrae fidei commissum, in Caelo adjuvari speramus.

B. Thuribii orat., vice institutio, & Archiepiscopus patus sancti titus.

§.1. Itaque summa Beati Thuribii merita, & signa, jam dudum apud hanc Sanctam Apostolicam Sedem per Venerabiles Fratres nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales sub pie memoriae antecessoribus nostris Romanis Pontificibus in longum examen adducta, nos, in B. Petri Apostolorum Principis Cathedra, disponente Domino, vix constitutos, magnopere excitaverunt, ut de insigni viro publicis Sanctorum honoribus honestando cogitarem, quem Majorca, Opido Hispaniae Tarraconensis in Episcopatu Legionensi decimo sexto Kalendas Decembris anno Christi Domini millesimo quingentesimo tricesimo octavo ex praenobili Mogroveja gente ortum, per vias Domini perpetuo ambulantiem, inque omnium virtutum studio laudabiliter proficentem, Hispania primum, & postmodum ora Americana, quas Indias Occidentales vocamus, conspiceret meruerunt. Is enim liberalibus disciplinis, & vere Christianis institutionibus educatus, doctrinisque Evangelicis Salmanticae optime instructus in Collegio Ovetensi, ubi ejus brachium magna veneratione adfervatur, ex Sacro munere Apostolici Quaestoris Fidei in Regno Granatensi, quod magna innocentia, & pietate subibat, ad Archiepiscopalem Cathedram Ecclesiae Limanae inficius atque onus refugiens, Americanos populos Pastoralis officio rectoris, divino consilio vocatus est, quo se vir Dei supremo nutu trahi sentiens, per ingentes difficultates, & vitae pericula invicto animo properavit. Limanam gentem moribus foede corruptam, variisque superstitionibus turpiter inquinatam, ad Christianam pietatem alacriter excolendam summo studio traducere contendit, rebusque Ecclesiae Limanae dispositis, dioecesium, & Sacram Provinciam nudis pedibus totam lastravit, unde factum, ut incredibilis Thuribii charitas, vitia, & mutua odia, quae passim dominabantur, ex animis suae plebis prorsus eveleret. Tum vir Dei probe gnarus, nihil aptius ad disciplinam, & Evangelii semina, quae bonum fructum redderent, in agro Dominico seminandi, quam sacra Synodorum statuta reperiri, mox ad Presbyterorum, & Confratrum Episcoporum Dioecesanam, & Provinciam Concilia identidem celebranda omnem suam sollicitudinem vertit, quae hujus etiam Sedis Apo-

stolicae munimine roborata, multa, & probatissima habuit. Tum Sacris viris, & Virginibus, pauperibus, & infirmis praesenti ope consuluit, sibi ipsi perneccellaria in eorum usum impendens, unde Christianitas illarum partium, Deo favente, mirifice aucta est, ita ut ad nongentos, & eo amplius mille fideles salutari fonte renatos ipse unus per manus impositionem christianis Sacramento confirmaverit. His ancilla Dei Rosa ex nostro Ordine Praedicatorum, adnumeratur, quam postea signis aequae, ac virtutibus claram, felicis recordat. Antecessor noster Clemens Papa X. in Sanctarum Virginum canonem retulit.

Dioecesis perclustrans die obiit, & Beatis postea adscribitur ab Innoc. XI.

§.2. Interea Limanus Pontifex ad sui gregis salutem impigre incumbens, dioecesium de more perlustrans, in Opido Sanna lethali morbo corripitur, quo ingravescente, Sanctissimae Eucharistiae, & extremae Unctionis Sacramentis probe monitus, fide, & spe in Deum summe latus, hilari vultu proximae resolutionis suae nuncium accepit, atque ingeminatis Davidicis verbis, Letatus sum in his, quae dicta sunt mihi, spiritum Deo commendans, sanctissimam efflavit animam decimo Kalendas Aprilis anno Christi Domini millesimo sexcentesimo sexto, aetatis duodeseptuagesimo, Archiepiscopatus vicelesimo quinto. Thuribii animam in Coelum, receptae mirabilis Deus signis quamplurimis sanctitatem patefecit, Lima praesertim, quo Sacrae ejus exuviae, prodigiis eas comitantibus adfecta fuerunt. Quare eximius Servi Dei virtutibus per plura miracula comprobatis, pia memoriae Antecessor noster Innocentius Papa XI. nono Kalendas Julias anno Christi Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo nono Thuribium Beatis adscripsit, in ejus honorem Sacris precibus, & Missae Sacrificio celebrari permittis; annoque insequenti in tabulas Martyrologii Romani cum Beatis relatus est.

Promulgatur ejus Canonizatio ab hoc Pontif. peracta.

§.3. Postmodum per nos ipsos novis miraculis post ejus Beatificationem patris, aequae disculis, in qua tribus confessoris, & plenari conventu Venerabilium Fratrum nostrorum, S.R.E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum nobiscum Romae praesentium rite perpenis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicae Notario, coram Nobis excepta, Regumque, ac Principum Christianorum, ac Cleri, Populique Limani precibus pro B. Thuribio in Sanctorum Confessorum Pontificum Canonem referendo Apostolicae Sedi porrectis, post tanta rei perficienda solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia, & eleemosynas Omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum universis, quae ex Antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, & Sanctae Romanae Ecclesiae disciplina peragenda erant, omni Religione peractis, hac die in honorem Antecessoris nostri Pontificis, & Martyris Melchiadis Deo Sacra, qua etiam incarnati Verbi mysterium in annua translatione Almae Domus Lauterane memoria recolitur, una cum iisdem Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac utriusque Cleri, & Populi frequentia, in Sacrosanctam Basilicam Principis Apostolorum Deo

supplices convenimus, ubi semel, iterum, & tertio pro viro Dei in Sanctorum Confessorum Pontificum canonem referendo precibus repetitis per Venerabilem fratrem nostrum Franciscum Sanctae Romanae Ecclesiae Episcopum Cardinalem, Barberinum nuncupatum, post decantatas Sacras orationes, & Spiritus Sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem Sanctissimae, & individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, & Christianae Religionis incrementum, auctoritate Omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, de eorundem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum nobiscum in plenario conventu Basilicae Vaticanae praesentium, consilio, & unanimo consensu, Beatum Thuribium Limanae Sedis Archiepiscopum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate, & ceterarum virtutum, ac miraculorum excellentia plene constabat, & constat, una cum Beatis Jacobo a Marchia Confessore Ordinis Minorum, & Agnete Politiana Virgine nostri Ordinis Praedicatorum, Sanctum esse definivimus, Sanctorum Confessorum Pontificum canonem adscribendum decrevimus, & adscripsimus, eundemque per universos Christianos, tamquam vere Sanctum, honorari mandavimus, & mandamus: statuentes, ut ab universa Ecclesia in ejus honorem aedes Sacrae, & Altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, aedificari, & consecrari; & quotannis quinto Kalendas Majas, quo ejus exuviae Limam translatae sunt, Thuribii Limani festa solemniter, ut S. Confessoris, & Pontificis, celebrari possint.

Indulgentia nonnulla ejusdem die festo concessa.

§. 4. Insuper eadem auctoritate omnibus Christianis vere poenitentibus, & confessis, qui eodem die festo in memoriam B. Thuribii ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum, & quadragesimam; iis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis poenitentis misericorditer in Domino relaxavimus, & relaxavimus.

§. 5. Postremo gratis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem Sanctorum Thuribii, Jacobi a Marchia, & Agnetis Politianae solemniter oratione, in ara Principis Apostolorum Sacrosanctum Missae Sacrificium celebravimus cum ejusdem Confessoris Pontificis, & ceterorum commemoratione, omnibusque Christianis, tunc praesentibus, plenariam peccatorum indulgentiam concessimus.

Gratiarum actio.

§. 6. Decet igitur, ut pro tam peculiari insignique beneficio caelitus nobis concessio, omnes benedicamus, & glorificemus in trinis Personis unum Deum, omnium bonorum auctorem, cui est honor, & gloria in saecula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electi sui Thuribii, a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiae suae, immittatque timorem sui super gentes, quae non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus nisi Deus noster.

His literis ubique fides adhibeatur.

§. 7. Ceterum quia difficile foret, praesentes

nostras literas ad singula loca, ad quae opus esset, adferri, Volumus autem, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si essent exhibite, vel ostense.


§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae definitionis, Decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo sexto, quarto Idus Decembris, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Nemo infringere audeat.

Subscriptiones Pontificis, & Cardinalium.

Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.



- Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Card. Barberinus.
Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Orthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corfinus.
Ego Joseph Renatus Tituli Sancti Georgii in Velabro Presbyter Cardinalis Imperialis.
Ego Philippus Antonius Tituli Sanctae Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
Ego Annibal Tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis S. Clementis Albanus S. R. Eccl. Camerarius.
Ego Ludovicus Tituli Sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Picus de Miranda.
Ego Joannes Antonius Tituli S. Calixti Presbyter Cardinalis de Via.

Ego

- Ego Antonius Felix Tituli Sanctae Balbinae Presbyter Cardinalis Zondadarius.
Ego Petrus Marcellinus Tituli S. Iohannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
Ego Curtius Tituli S. Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
Ego Melchior Tituli Sanctae Mariae Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignae.
Ego Nicolaus Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula.
Ego Georgius Tituli S. Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
Ego Cornelius Tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Benivolus de Aragonia.
Ego Ludovicus Tituli Sanctae Priscae Presbyter Cardinalis Belluga, & Moncada.
Ego Joseph Tituli S. Susanna Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
Ego Alvarus Tituli S. Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
Ego Bernardus Maria Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus Major Penitentiarius.
Ego Johannes Baptista Tituli S. Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis de Aleris.
Ego Vincentius Tituli S. Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
Ego Prosper Tituli S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marisficus.
Ego Frater Augustinus Tituli S. Xisti Presbyter Cardinalis Pipia.
Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercarius.
Ego Frater Laurentius S. R. E. Presbyter Cardinalis Cozza.
Ego Benedictus S. Mariae in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
Ego Laurentius S. Agathe ad Montes Diaconus Cardinalis de Aleris.
Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
Ego Julius Tituli S. Hadriani Diaconus Cardinalis Aberonus.
Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
Ego Alexander S. Mariae de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.

Ego Nicolaus Sanctae Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.

P. Card. Prodarius.
Pro D. Cardinali Oliverio.
C. Archiepiscopus Emissenus.
VISA
De Curia J. Archiepiscopus Anciranus.
L. Martinettus.
Registrata in Secretaria Brevium.

CLIV.

Promulgatur Canonizatio B. Jacobi a Marchia, Ordinis Minorum de Observantia, inter Sanctos relati.

Vide praecedentem & sequentem Constitutionem.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Summi Dei gloria maxime postulat, ut Romanus Pontifex, auditis magnis virtutibus & miraculis, quae Christus Dominus per servos suos operari dignoscitur, illorum memoriam super candelabrum totius Ecclesiae collocari decernat, unde universis Christianis clara lux effundatur, qua per viam salutis tuto ambulantes, eorumdem exemplis, & patrocinio in superna tabernacula perducere mereantur.

Exordium.

Itaque Nos animo revolventes, Beatum virum Jacobum a Marchia, Christianis virtutibus, signisque, omnipotentis Dei manu per merita ejus patris, excelluisse, quem in Piceno agro Asculano ortum anno Christi Domini millesimo tercentesimo nonagesimo primo, pieque educatum, inter suos excepit ordo Fratrum Minorum, qui a regulari observantia nuncupantur, in hanc deliberationem maturo consilio devenimus, ut eum, caelestium donorum copia spectatissimum, aspero vitae genere insignem, & compluribus Legationibus pro re Christiana susceptis de Ecclesia praeclare meritum, ac jamdudum Beatis adnumeratum, in plenario conventu, Sanctorum Confessorum Canonum adscriberemus. Etenim Dei virum, Beati Bernardi Senensis discipulum, inque avertendis ab agro Dominico ingruentium contagionum afflatus, Beati Johannis a Capistrano socium, magna quoque commendavit; quippe quem, ut vita sanctimonia percelebrem, a Caesaribus, Regibus & Principibus pro religionis causa expetitum, septemque decessorum nostrorum pie recordationis Romanorum Pontificum, Martini V. Eugenii IV.

Jacobia Marchia ortus, viri ratio pia acta, obitus miracula, & veneratio.

genii IV. Nicolai V. Calixti III. Pii II. Pauli II. & Xysti IV. Legationes contra Hæreticos, Fraticellos, Manichæos redivivos, Patarenos, Hussitas, Thaboritas, & Turcas ipsos, magna doctrina & zeli Apostolici laude in Italia, Pannonia, Germania, Bohemia, & Sarmatia, per innumera vitæ pericula, obeuntem, universa Ecclesia mirata est. Quare probatissimum virum, qui multis magnisque meritis plenus sexto Kalendas Decembres anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, Neapoli in Campania obdormivit in Domino, per plura miracula, nutu divino per eum patrata, sacris illius exuviis in æde Sanctæ Mariæ Novæ corruptionis expertibus ac suavi, & perenni odore perfusus, undequaque inclytum reddiderunt: quas quidem exuvias Nos ipsi, adhuc in minoribus constituti, hisce manibus contrectantes, charissimo in Christo filio Nostro Philippo V. Hispaniarum Regi Catholico venerandas ostendimus. Hinc factum, ut Carolo V. Romanorum Imperatore apud felicis memoriæ Antecessorem Nostri Clementem Papam VII. flagitante, de Jacobo inter Sanctos referendo actum fuerit, atque iterum Philippo III. Hispaniarum Rege Catholico adnente apud similes memoriæ Deceffores Nostros Paulum V. & Urbanum VIII. qui Jacobi virtutibus, & miraculis comprobatis, officium de eo recitare, missamque in ejus honorem, universo ordini Fratrum Minorum, ac toti Civitati, Diocesi Neapolitanæ, cujus patronus electus fuerat, decreto Apostolico celebrare permisit.

Promulgatur
ejus Canonizatio ab hoc Pontifice solemniter peracta.

§.2. Deinde novis miraculis post Jacobi Beatificationem per Venerabilem Fratrem Nostros Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales coram Nobis in examini adductis, Decefforumque Nostrorum Constitutionibus respondere omnino reperitis, inque tribus consistoriis, & plenario Conventu eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum nobiscum Romæ presentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram Nobis excepta, tum pro Beato Jacobo, Sanctorum Confessorum factis adnumerando, Regum & Principum Christianorum supplicationibus Sanctæ Apostolicæ Sedi porrectis, etiam ordo Fratrum Minorum cum Neapolitana, & Afulana Civitatibus suas adjunxissent, solemniter ceremoniæ, & maximo ritui de more complendis die indicta, per que orationes, jejunia, & elemosynas, operum omnipotentis Dei ferventissime implorata, ac universis, quæ ex Sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplina peragenda erant, religiose peractis, tandem hac die in honorem Antecessoris Nostri Pontificis, & Martyris Melchiadis Deo sacra, qua etiam incarnati Verbi Mysterium in annua translationis Almæ Domus Lauretanæ memoria recolitur, Nos ipsi una cum iisdem Venerabilibus Fratribus Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac utriusque Cleri, & Populi frequentia in Sacrosanctam Basilicam Principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum, & tertio pro viro Dei Jacobo a Marchia in Sanctorum Confessorum Canonem referendo, per Venerabilem Fratrem Nostri Franciscum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episco-

pum Cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum; repetitis precibus, post cantatas de more Orationes, & Spiritus Sancti gratiam humillime invocata, ad honorem Sanctæ, & individue Trinitatis, fidei catholice exaltationem, & Christianæ religionis incrementum, auctoritate Omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostri, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, nobiscum in plenario Conventu Basilicæ Vaticanæ presentium consilio, & unanimi consensu, Beatam Jacobum a Marchia Ordinis Fratrum Minorum, de cujus sanctitate, fidei sinceritate, & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plane constabat, & constat, una cum Beatis Thuribio Archiepiscopo Limano Confessore Pontifice, & Agnetæ Politiana Virgine nostri Ordinis Predicatorum, Sanctum esse definivimus, Sanctorum Confessorum non Pontificum Canonem adscribendum decrevimus, prout presentium tenore definimus, decernimus & adscribimus, eundemque per omnes Christianos fideles, tamquam vere Sanctum honorari mandavimus, & mandamus, statuentes, ut ab Ecclesia universali in ejus honorem, ædes sacræ, & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, ædificari, & consecrari; & quotannis quarto Kalendas Decembres, quo die ad cœlestem patriam evolavit, ejus festa solemniter ut Sancti Confessoris non Pontificis, celebrari possint.

§.3. Insuper eadem auctoritate, omnibus Christianis fidei vere poenitentibus, & Confessis, qui eodem die festo in memoriam Beati Jacobi a Marchia, quotannis ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum, & quadragenariis vero, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis poenitentis, misericorditer in Domino relaxavimus, & relaxamus.

§.4. Postremo gratis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novorum Sanctorum luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem Sanctorum Jacobi a Marchia, Thuribii Archiepiscopi Limani, & Agnetis Politiana solemniter Oratione, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum Sacrosanctum Missæ sacrificium, cum ejusdem confessoris & ceterorum commemoratione, omnibusque Christianis fidelibus tunc presentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

§.4. Decet igitur, ut pro tam peculiari, insignique beneficio celitus nobis concesso omnes benedicamus, & glorificemus Deum Patrem, bonorum omnium auctorem, cui est honor, & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electi sui Jacobi a Marchia, a peccatis Nostri indignationem suam avertens ostendat nobis faciem misericordie suæ, immitatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

§.5. Ceterum quia difficile foret, presentes nostras literas, ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ indignitate ecclesiastica constitutæ munitis; eadem ubique fides habea-

Indulgentiæ
ejus enuviis
visitantibus
concessa.

Statutum
ædificatio.

habeatur, quæ ipsis presentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

His literis
plena fides ad
hibeatur.

§.6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicefimo sexto, quarto idus Decembris, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Ego Benedictus Catholicae Ecclesiæ Episcopus.

Subscriptio-
nes Pontificis
& Cardinalium.



- † Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardinalis Barberinus.
- † Ego Petrus Episcopus Sabiniensis Cardinalis Orto-
tibonus S. R. E. Vicecancellarius.
- † Ego Laurentius Episcopus Tusulanus Cardinalis
Cotinus.
- † Ego Joseph Renatus Tituli Sancti Georgii in Ve-
labro Presbyter Cardinalis Imperialis.
- † Ego Philippus Antonius Tituli Sancte Praxedis
Presbyter Cardinalis Gaalterius.
- † Ego Annibal Tituli Sancti Clementis Presbyter
Cardinalis Sancti Clementis Albanus S. R. E.
Camerarius.
- † Ego Ludovicus Tituli Sancti Silvestri in Capite
Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
- † Ego Johannes Antonius Tituli Sancti Calixti
Presbyter Cardinalis de Vio.
- † Ego Antonius Felix Tituli Sancte Balbinæ Pre-
sbyter Cardinalis Zondadarius.

- † Ego Petrus Marcellinus Tituli Sancti Iohannis
ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis
Corradinus.
- † Ego Curtius Tituli Sancti Eustachii Presbyter
Cardinalis Origus.
- † Ego Melchior Tituli S. Mariæ Angelorum Pre-
sbyter Cardinalis de Polignac.
- † Ego Nicolaus Tituli Sanctorum Nerei, & Achil-
lei Presbyter Cardinalis Spinula.
- † Ego Georgius Tituli Sancte Agnetis Presbyter
Cardinalis Spinula.
- † Ego Ludovicus Tituli Sancte Priscæ Presbyter
Cardinalis Belluga & Moncada.
- † Ego Joseph Tituli Sancte Susannæ Presbyter
Cardinalis Peroya de la Cerda.
- † Ego Alvarus Tituli Sancti Bartholomæi in Insula
Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
- † Ego Bernardus Maria Tituli Sancti Bernardi ad
Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus,
major Penitentiarius.
- † Ego Iohannes Baptista Tituli Sancti Matthei in
Merulana Presbyter Cardinalis de Ateris.
- † Ego Vincentius Tituli Sancti Onuphrii Presbyter
Cardinalis Petra.
- † Ego Prosper Tituli Sancti Chrysogoni Presbyter
Cardinalis Marifiscus.
- † Ego P. Augustinus Tituli Sancti Xysti Presby-
ter Cardinalis Pipia.
- † Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardina-
lis Lercarius.
- † Ego Frater Laurentius S. R. E. Presbyter Cardina-
lis Cozza.
- † Ego Benedictus Sancte Mariæ in Via lata Diaconus
Cardinalis Pamphilius.
- † Ego Laurentius Sancte Agathe ad Montes Diaconus
Cardinalis de Ateris.
- † Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus
Cardinalis Columna.
- † Ego Julius Sancti Hadriani Diaconus Cardinalis
Alberonus.
- † Ego Alexander Sancte Mariæ in Cosmedin Diaconus
Cardinalis Albanus.
- † Ego Alexander Sancte Mariæ de Scala Diaconus
Cardinalis Falconerius.
- † Ego Nicolaus Sancte Mariæ ad Martyres Diaconus
Cardinalis Judice.

CLV.

Dai. 20. Dec. 1724. An. 3. Promulgatur Canonizatio B. Agnetis ex Monte Politiano Ordinis Prædicatorum in Sanctarum Virginum Canonem relatæ.

Vid. Const. antecedentem.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium ex eo, quod Sanctæ Virgines præ aliis Deo caræ sint.

S. Amb. offi exhortat. Virginitatis Cas. fil. 17.

Exod. 17. 20. 27.

1. Cor. XI. 2. 1. XXXVIII 22.

Apo. XXI. 27

Beata Agnetis Politianæ ortu, vitæ integritas, & dignitas illi præterita.

IN omnium Sanctorum, sed præcipue Dei Virginum, meritis celebrandis, Deum ipsum glorificari constat, qui publicæ salutis palmam semper Virginitati dedit. In veteri Testamento filios Israel, Terra, Marique clausos, Virgo pedes per mare duxit incolumes. In Evangelio auctorem Mundi, & Redemptorem nostrum Virgo genuit. Virgo est Ecclesia, quam Paulus Apostolus castam Virginem Christo Domino exhibuit. Virgo quoque est filia Sion, Virgo est celestis illa Hierusalem, in quam nihil commune, nihil immundum ingreditur. Virgines demum Dei sponsas, sacrata Deo corpora, Dei templa ab Ecclesia catholica passim dici non ignoramus.

§.1. Ex his una Beata Agnes in nostro Ordine Prædicatorum quatuor ab hinc sæculis floruit, orta in Agro Montis Politiani in Tuscia anno salutis 1268., eximisque virtutibus, quas Majores nostri in Dei Virginitate laudaverunt, ante faciem Domini summe conspicua. Hanc a primæ ætate luculentis futuræ sanctimonie præsignis multoque signorum numero, & claritate Deus illustravit, præsertim ubi, etiamnum adolescentula, religiosum Institutum amplexa est. Ex patrio enim Monasterio ad aliud Proconi in Agro Urbevetano extruendum missa, eidem extructo præfecta est, ubi annis quindecim pane, & aqua jejunavit, more futuri Parentis sui Beati Dominici Confessoris humi cubans, nec nisi majorum imperio sibi gratissimum vitæ ordinem, mutare visa. Orationi tam ferventer inhæsit, ut Deus Ancillam suam a solo extolleret, ac celesti manna, quasi nive, tunicam ei non semel contegeret; immo & Ecclesiam ipsam mannae granis, figuram Crucis referentibus, Episcopo ad Agnetem solemnem cæremonia consecrandam accessuro, consperfit. Ei secreta celestia patuerunt, & princeps Tenebrarum, eam veniente, ex corporibus ab se truculenter obsessis, procul fugere coactus est. Tanto Dei amore flagravit, ut nocte assumpta in Coelum Beatae Mariæ Virginis Infantem Jesum inter ulnas Matris videre mererit. Ex quamplurimis gratiæ suæ donis, quibus Dominus Ancillam suam cumulavit, omnium maximum præterire non licet, ei nimirum ab Angelo allatum Dominici Corporis Sacramentum. Sanctæ etiam Palæstinæ Regionis, ubi Salvator conceptus, natus, conversatus, & passus est, ut visitaret, a Domino cum lacrymis flagitanti, portuicula terræ Christi sanguine asperse, divinitus data est. De reliquiis quoque Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli idem ei contigisse proditum est: quibus & illud accedit, tanta in Deum fide excelluisse, ut

oleum, panem, & nummos multiplicare potuerit.

§.2. Quare Agnetis fama circumquaque diffusa, Politiani Cives sibi eam restitui summis votis, & precibus exorare non desierunt, donec in Patriam redux, inque visu a Beatis Viris Augustino, Francisco, & præcipue Dominico ad se illam attrahente, mirifice recreata, sibi, & suis nutu Dei Monasterium, sacramque ædem condere statuit, impuro seminarum habitaculo in piarum Dei Virginum Doanaculum ad honorem B. Mariæ Virginis sub regula Ordinis Prædicatorum converio, quo in loco demones, Corvorum specie unguibus, & rostro Agnetem, adhuc Adolescentulam, tanquam sibi aliquando infestam futuram, vexare tentaverant. Monasterio feliciter absoluto, invita, omnium consensu præficatur, ubi in dies Christianis virtutibus, signisque, & prophetico etiam spiritu inclariuit. Tandem hora indicta, qua ad celestis Sponsi nuptias properaret, peracerbis alias morbis pie, constanterque toleratis, afflicta, decubuit, sumisque magna Religione Ecclesiæ Sacramentis, Sororesque appropinquante sui transitu, mœstas solata, ac Dei patrocinio ob Sanctam regulæ observantiam illis pro nullo, in eorum amplexibus pie obiit Decimosecundo Kal. Majas Anno Christi Domini 1277. Prima Dei Virgo Claustralis nostri Ordinis Prædicatorum, multis post dormitionem suam miraculis clara, beate Catharinæ Senensis veneratione, ac laudibus inclita, & eundem, ac Senensis Virgo, Beatorum Raymundum a Capua, totius post Prædicatorum familiæ generalem Magistrum, vite suæ Scriptorem nata.

§.3. Ad sacras Agnetis exuvias corruptionis expertes, & miraculo rore alidie perfusas, ob beneficia a Deo per ejus intercessionem accepta, Christianis magna Religione confluentibus, felicitæ recordationis Decessor noster Clemens Papa VII. Apostolicis literis indulisit, ut Fratres Prædicatorum, & Politiana Ecclesia, ac Cives Beate Agnetis Festum, Officiumque solemniter celebrarent: quod similis memorie Clemens Papa VIII. approbavit, lectiones proprias configmans eodem festo die a toto Prædicatorum Ordine recitandas in honorem Agnetis, quam pie recordationis Gregorius Papa XIII. in Martyrologio Romano describi iusserat. Alii quoque Antecessores nostri Romani Pontifices Pius Papa V., & Clemens X. compluribus, ex S. R. E. ritu editis indulgentiis, Fidelium pietatem erga Beatam Agnetem fovere studuerunt.

§.4. Quibus omnibus sub similis memoria Clemente XI. discussis, Deique Ancillæ virtutibus, & miraculis, post concessum a Sede Apostolica ejus cultum, de more, coram Nobis in examen adductis, & veteri disciplina, ac Sanctorum Patrum Constitutionibus respondere per omnia repertis, inque tribus Consistoriis, & plenario conventu Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum nobiscum in Urbe præsentium rite perpensis, unanimi eorumdem sententia per Sedis Apostolicæ Notarios coram Nobis excepta, Regumque, & Principum Christianorum, atque Ordinis Prædicatorum enixis precibus pro Agnete in Sanctarum Virginum non Martyrum canonem referenda Apostolicæ Sedi porrectis, post tante

Eius obitus.

Summi Pontifices eam, ut Sanctam Virginem venerandam agnovissent.

In Sanctarum Virginum Canonem ab hac eadem Pontifice relatæ fuit.

rei perficiendæ solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia, & elemosynas Omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, Nos deinum univervis, quæ ex Antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus; & S. R. E. disciplina peragenda erant, omni religione peractis, hac die in honorem Antecessoris nostri Pontificis, & Martyris Melchias Deo sacra, qua etiam incarnati Verbi mysterium in annua translationis alme Domus Lauretæ memoria recolitur, una cum iisdem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac utriusque Cleri, & Populi frequentia in Sacrosanctam Basilicam Principis Apostolorum, Deo supplicantes convenimus, ubi semel iterum, & tertio pro Beata Agnete Politianæ in Sanctarum Virginum non Martyrum canonem referenda, precibus repetitis per venerabilem Fratrem nostrum Franciscum S. R. E. Episcopum Cardinalem Ostiensem, Barberinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes, & Spiritus Sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem Sanctæ, & individue Trinitatis, Eide Catholice exaltationem, & Christianæ Religionis incrementum, auctoritate Omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, de eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu Basilicæ Vaticanæ præsentium, consilio, & unanimi consensu, Beatam Agnetem Politianam Ordinis Prædicatorum, de cuius Sanctitate, fidei sinceritate, & cæterarum Virtutum, ac miraculorum excellentia plene constabat, & constat, una cum Beato Thuribio Confessore, & Pontifice Ecclesiæ Romanæ, & Beato Jacobo a Marchia Confessore non Pontifice Ordinis Minorum, Sanctam esse definivimus, Sanctarum Virginum non Martyrum canonem adscribendam decrevimus, prout præsentium tenore definimus, decernimus, & adscribimus, eandemque per univervis Christianos, tanquam vere Sanctam, honorari mandavimus, & mandamus, statuentes, ut ab universâ Ecclesia in ejus honorem ædes sacre, & altaria, in quibus incruentum Sacrificium Deo offeratur, edificari, & consecrari possint, & quotannis decimosecundo Kal. Majas, quo ad celestem Patriam evolavit, ejus festa solemnia, ut Sanctæ Virginis non Martyris celebrari possint.

§.5. Insuper eadem auctoritate, omnibus Christianis vere poenitentibus, & confessis, qui eodem die festo in memoriam Beate Agnetis ad ejus exuvias visitandas accesserint, annum & quadragenam; iis vero, qui in Octava ejusdem Festi, quadraginta dies de iniunctis, seu quomodolibet eis debitis poenitentis, misericorditer in Domino relaxavimus, & relaxamus.

§.6. Postremo gratiis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare dignatus fuisset, cantata in honorem Sanctorum, Agnetis Politianæ Virginis, Thuribii Confessoris Pontificis, & Jacobi a Marchia Confessoris, solemnem orationem, in Ara Principis Apostolorum sacrosanctum Missæ Sacrificium celebravimus cum ejusdem Virginis, & cæterorum commemoratione, omnibusque Christianis tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.


§.7. Decet igitur, ut pro tam peculiari, insignique beneficio cælitus Nobis concessio omnes benedicamus, & glorificemus Deum Patrem, omnium bonorum Auctorem, cui est honor, & gloria in sæcula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electæ suæ Agnetis Virginis, a peccatis nostris indignationem suam avertens, ostendat Nobis faciem misericordiæ suæ, immittatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster.

§.8. Cæterum quia difficile foret, præsentibus nostras literas ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsi præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

§.9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, Decreti, adscriptiois, relationis, mandati, statuti, relaxationis, & voluntatis infringere, aut ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleesimo Septingentesimo Vigesimo sexto Quarto Idus Decembris Pontificatus nostri anno Tertio.

Ego Benedictus Catholice Ecclesiæ Episcopus.



- † Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Card. Barberinus.
† Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Otthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Laurentius Episcopus Tusulanus Cardinalis Corsinus.
† Ego Joseph Renatus Tituli Sancti Georgii in Velabro Presbyter Cardinalis Imperialis.
† Ego Philippus Antonius Tituli Sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.

X

† Ego

Gratiarum actio.

Hæ literæ Apost. ubique fides obtineant.

Nemo eas infringere audeat.

Subscriptores Pontificis & Cardinalium.

- † Ego Annibal Tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis S. Clementis Albanus S. R. Eccl. C. merorius.
- † Ego Ludovicus Tituli Sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Pius de Miranda.
- † Ego Joannes Antonius Tituli S. Calixti Presbyter Cardinalis de Via.
- † Ego Antonius Felix Tituli Sancte Balbina Presbyter Cardinalis Zondadarius.
- † Ego Petrus Marcellinus Tituli S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
- † Ego Curtius Tituli S. Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
- † Ego Melchior Tituli Sancte Maria Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignae.
- † Ego Nicolaus Tituli Sanctorum Nerei, & Achilii Presbyter Cardinalis Spinula.
- † Ego Georgius Tituli S. Agnetis Presbyter Cardinalis Spinula.
- † Ego Cornelius Tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Benivulius de Aragonia.
- † Ego Ludovicus Tituli Sancte Prisca Presbyter Cardinalis Belluga, & Moncada.
- † Ego Joseph Tituli S. Susanna Presbyter Cardinalis Pereyra de la Cerda.
- † Ego Alvarus Tituli S. Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
- † Ego Bernardus Maria Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus Major Penitentiaris.
- † Ego Joannes Baptista Tituli S. Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteris.
- † Ego Vincentius Tituli S. Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
- † Ego Prosper Tituli S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis Marisficus.
- † Ego Frater Augustinus Tituli S. Xisti Presbyter Cardinalis Pipia.
- † Ego Nicolaus Maria S. R. E. Presbyter Cardinalis Lercarius.
- † Ego Frater Laurentius S. R. E. Presbyter Cardinalis Cozza.
- † Ego Benedictus S. Mariae in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
- † Ego Laurentius S. Agathe ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteris.

- † Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columa.
- † Ego Julius Tituli S. Hadriani Diaconus Cardinalis Alberonus.
- † Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
- † Ego Alexander S. Mariae de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.
- † Ego Nicolaus Sancte Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.

P. Card. Prodaturus.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emiffenus.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Anciranus.

L. Martinettus

Registrata in Secretaria Brevium.

CLVI.

Decernitur ut quidam fundus, seu cumulus in situatur pro agenda Beatificatione, seu Canonizatione eorum, qui in Ordine Servorum B. M. V. cum sanctitatis fama obierunt.

Dat. 17. Dec. 1726. An. 3.

Alia hujus Const. ed. 1724. Jun. 4. P. 1. promulgata fuit Canonizatio B. Philippi Benitii dicti Ordinis.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Apostolatus cura, quam Divinae Sapientiae, atque bonitatis Altitudo humilitati Nostrae meritis licet, & viribus longe impari, imponere dignata est, Nos urget, ut piis fidelium quorumcumque praesertim sub suavi Religionis jugo Domino assidue famulantium votis ad promovendam in terris Christi Servorum, & Ancillarum cum eo in beata aeternitate regnantium venerationem tendentibus, favorabilem assensum paterno affectu praebamus.

Procedimus a cura Sanctorum venerationis promovenda.

§.1. Cum itaque, sicut dilecti filii Petrus Maria Pieri Prior, ac Josephus Maria Procurator Generalis Ordinis Fratrum Servorum Beatae Mariae Virginis Nobis nuper exponi fecerunt, idem inclutus Ordo plurimos pietate, virtutibus, atque vitae sanctimoniam eximios filios tanquam vitis abundans in Agro Dominico omni fore tempore protulerit, quorum memoria in tenebris, ac oblivione hominum delitescit, eo quod nulli redditus ad eorum causas coram Congregatione Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E.

Facti expositio.

S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praeposita, ut moris est, agendas, seu illorum inter Beatos, aut Sanctos relationem procurandam suppetunt, destinative reperiantur.

Proponitur a Priore, & Procuratore Generali dicti Ordinis ex quibus pecuniis possit institui praedictus fundus.

§.2. Ipsi Exponentes praecipua sui Ordinis luminaria, quae super candelabrum posita omnibus, qui in Domo Dei sunt, praecluerent, ita in abscondito, & sub modio jacere agre ferentes, animum adjecerunt, ut quamdam rationem inirent, qua absque gravi ejusdem Ordinis incommodo pecuniae in hanc adeo piam causam comparari, & congeri possent; cumque re universa accurate perpensa cognovissent usum olim in dicto Ordine invaluisse ante duodecim circiter annos a Congregatione tunc existentium dictae S. R. E. Cardinalium, & Romanae Curiae Prelatorum super disciplina Regulari specialiter deputata sublatum, quod Secretariis Prioris, five Vicarii generalis pro tempore existentis ipsius Ordinis scutum unum Monetae Romanae pro certis patentibus literis, quae illius fratribus expediebantur, exsolveretur, unde trecentorum, vel quadringentorum scutorum paris monetae summa, quae in privatam Prioris, seu Vicarii Generalis, ejusve Secretariorum praedictorum utilitatem tunc cedebat, quotannis retrahebatur, exponentes praedicti usum hujusmodi retineri, seu instaurari, ac ex pecuniis inde proventuris quemdam cumulum, seu fundum, ac multiplicum, sumptibus eorum, qui in Ordine praefato cum Sanctitatis fama floruerunt, ac decesserunt causis instruendis, & agitandis, seu Beatificationi, ac Canonizationi procurandae, & faciendae necessariis deputandum, institui summo opere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces eorum dem.

§.3. Nos igitur ipsorum Exponentium propositum hac in re quantum cum Domino possumus juvare cupientes, eosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod memoratus usus solvendi, ac exigendi respective scutum monetae praefatae pro dictis Patentibus Literis, qui in eodem Ordine ante paucos annos vigeat, sicut praemittitur, deinceps retineatur, ac servetur, five de novo inducatur, nec ipse patentes Literae antea relaterentur quam solutio realiter, & cum effectu facta fuerit, pecunia vero inde proventura a supra praedictis Exponentibus, ac pro tempore existentibus Priore, & Procuratore Generalibus ejusdem Ordinis fideliter custodiantur, atque de Semestri in Semestre penes Montem Pietatis de Alma Urbe Nostra deponantur, & in tot locis Montium Camerae Nostrae Apostolicae non vacabilium investiantur, ex quorum fructibus cumulus, seu multiplicum, ac fundus sumptibus necessariis pro causis, seu Beatificatione, vel solemnibus Canonizatione dicti Ordinis Alumnorum, seu Religiosorum, qui pie, ac cum Sanctitatis fama obierunt peragendis, & non in

Instituitur praefatus fundus.

aliam quamcumque causam destinandus, ac deputandus instituat, auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus, praecipimus, & mandamus.

Nullae Ordinationes hae super re.

§.4. Ubi autem aliquot expensas in opus hujusmodi facere necesse fuerit, tunc Priori, ac Procuratori Generalibus Ordinis praefati pro tempore pariter existentibus, ut cum consensu ejusdem S. R. E. Cardinalis dicti Ordinis apud Apostolicam Sedem Protectoris, & non aliter eam dumtaxat pecuniae quantitatem, quae necessaria ab eis conjunctim dijudicabitur ex cumulo seu multiplico, ac fundo praedicti defumere, seu pro illa rata tot ex dictis locis Montium vendere, & alienare, eamque in expensis praedictis, & non in alios usus erogari libere, & licite possint, & valeant, opportunam facultatem, & licentiam eadem auctoritate harum serie impertimur. Quo si aliqua fraus, vel dolus pro parte Prioris seu Procuratoris Generalium praedictorum in praemissis quomodolibet admitti, seu pecuniae praefatae alio conversu fuerint, ultra poenas per Canonicas Sanctiones adversus res Sacras, & Ecclesiasticas alienantes, & diripientes inflictas per eos propterea incurrendas, officiis suis, ac voce activa, & passiva perpetuo quoque privati sint, ac esse censentur eo ipso.

Clausula cum derogationis.

§.5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari; & ab eis respective inviolabiliter observari: Sique in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Casuum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis praefati, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die XXI. Augusti MDCCLXXVI. Pontificatus Nostri An. III.

CLVII.

Confirmantur declarationes, & sanctiones quaedam editae in Capitulo Generali Congregationis Cassinen., & Monasteria ejusdem depositi Capitularis solutione absolvuntur.

Dat. 21. Dec. 1726. An. 3.

Alia hujus Const. ed. 1725. Aug. 4. P. 2. confirmata fuerunt quadam litera Apostolicae in favorem Ecclesiae, & Abbatis Ord. S. Benedicti.